

luci potuerit, ut lectum relinqueret. Quem tamen paulo post, illo fraudatore mortuo, paucis adhibitis remediis, ad sanam reduxit mentem.

Et sæpè melancholiâ hypochondriacâ laborantes, sciunt benè, timorem ac mœstitiam quibus se macerant, esse vanam. Aliquos verò multò prudentiores ac sagaciores esse, quam Sanitate integrâ tum fruebantur, fuerunt; insigniq; acumine ingenii præditos, ad ea studia, quibus nunquam operam dederunt, se accingere; nonnunquam & iis loqui lingvis, quas vel nunquam, vel tamen non ita perfectè didicerunt; imò carmina elegantissima interdum componere, plura quidam ab autoribus adducuntur testimonia; Sed tamen, uti *Forst. c. l. Senn. l. 1. p. 2. c. 15. q. 1.* inquit: Si in istis nimium excedant, ac ea proferant, quæ antea nunquam in eorum potestate fuerunt, omnesque scientiæ ac artis ipsorum limites transfiliunt, Magicæ ac Dæmoniæ artis aliquid subesse, suspicionem tales præbent. Alioquin *Senn. c. l. ac. c. 5. ejusd. l.* concedit. Interdum in morbis quibusdam eam induci cerebro ac spiritibus dispositionem posse, quâ ingeniosiores fiant homines; idq; fieri maximè; si phrenitide, maniâ ac melancholiâ laboraverint; à quorum prioribus in ijs id contingere posse, concedendum facilè; qui humido alioquin ac frigido sunt cerebro: tum enim nimia ac ingenii acumi obstans humiditas absumitur, phantasiæ ratiocinationisque actiones exaltantur, ut idem loquitur. Ultimum verò, quod & sanguineis accidere queat, non negandum. Cum enim secundum *Arist. problem. 1. S. 30.* melancholici dicantur ingeniosi; ea verò verba uti *Senn. l. 3. instit. p. t. S. 1. c. 2.* explicat; non de ijs, qui temperamento prorsus melancholiò, id est frigido ac sicco sunt, intelligi debeant; (quamvis plurimi ex primis istis qualitatib; ingenii vim istam ac stabilitatem deducere conentur;) cum stupidi potius ac torpidi sint animi, sensusq; omnes tardos ac minus promptos habeant; neq; ita ingenio valere possint; sed de iis accipienda potius, qui optimæ alioquin corporis ac cerebri cum primis, sint temperaturæ, sanguineæq; naturæ; admistam tamen humoris melancholici portionem aliquam habeant; quæ mobiles istos ac agiles nimis, inconstantiamq; animi efficientes Spiritus, figat aliquo modo, ac stabilitatem iis inducat: ut sic ex istâ misturâ optimus ingenii modus re-

B 2 fulter